



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci  
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab  
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici  
Telemachus**

**Fénelon, François de Salignac de La Mothe**

**Francofurti, 1744**

**VD18 11007532**

Lib. XIV. Argumentum. Protesilai & Timocratis casus. Philoclis restitutio;  
eius post reparatam fortem vivendi ratio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

vitiis obnoxiorum Principum; contra verò (quæ altera nec levior miseria regum) ex animis eorum non difficiliùs effluere virtutes & merita virorum absentium. Multitudo hominum, quæ circumfluit Principes, non finit eos firmiter reminisci singulorum. Illa duntaxat imprimunt animo, quæ & præstò & iucunda sunt. Ceteris haud onerant memoriam. Quæ autem virtutis sunt, vel minimè vel rarò insidere mentem sinunt, cùm ea non modò palpi nil afferant, sed mores etiam eorum redarguant. Cui igitur mirum sit non diligi Principes, cùm amplitudini suæ uni applaudentes præter illa, quibus delectantur ipsi, nihil sibi putent diligendum?

## TELEMACHUS.

## LIBER XIV.

**H**Is dictis Mentor Idomeneo suadebat, ut Protesilao & Timocrate dimissis Philoclem revocaret è Samo. Quòd ut ageret rex, nihil morabatur præter merum, quem ex Philoclis severitate conceperat. Fateor, inquiebat, quamquam mihi & charus & plurimi sit, aliquantum certè timorem ob reditum eius non possum abiicere. A teneris assuevi audiendis laudibus, summis ad gratiam amicitiamque meam aspirantium contentionibus, placendi denique largissimo studio; quæ quidem frustra ab homine illo expecto. Simul peccabam, simul tristi oris habitu consueverat me peragere reum. Solitarius congressus eius à reverentia modestiâque commendandus; at ieiunus, remissioris studii, & penè frigidus fuit.

Ecquid

Ecquid intelligis, Mentor his addidit, qui libero apertoque sunt animo, assentatione depravatis Principum ingeniis quasi ieiunos & difficiles desipere? Quid? quod demum etiam credunt languidos officii esse, suæque infestos potentia, cum primùm eos vident abesse à fervilibus moribus, nec paratos adulari scelera potestate sua turpissimè abutentium Principum. Quodlibet verbum sine timore vel prolatum cum constantia, fastum, dicacitatem, perduellionem ipsis spirat. Prolabuntur denique in exquisitum adeò delicatùmque fastidium animi, ut nisi adulationem perferre haud queant. Sed pergamus. Philocles severus & aridus affatu est. Sit ita. Severitatem ergo postpones pestiferis amicorum tuorum blanditiis? Quis sine nævo? Imò ut verum & ego sine timore dicam: Nónne is nævus est, quem minimè in amicis permetuas? Nónne is nævus, quo carere amicum haud decet, ut & emendentur tui nævi, & desinas veritatem averfari, cuius nausæ te innutrivit adulatio? Homine opus habes, qui præter te & veritatem nihil amet: qui te plus amet, quàm tu ipse intelligas, quantum amare te debeas: qui verum dicat tibi, etiamsi graviter id feras, omnemque excusariunculis, ad quas te verteris, præripiat locum. Atqui Philocles is homo est. Crede sis, fortunæ ipsi anteire Principes, quorum tempora natalibus illustrantur tam magnanimi viri; gemma quippe Imperii est. Unde illud longè gravissimum supplicium, quo à Diis rex vapulat, quod virum talem amittet, quo nisi sciat uti, meretur carere. Virorum bonorum quidem scire debes quæ ratione cognoscenda sint vitia, neque tamen

ex

ex eo abdicare, quam dare possint, operam. Fac eos reducas ad frugem. Noli cæcos eorum impetus sequi. Benignas tamen aures præbe dicentibus: virtutem, qua pollent, honora; & ostende palàm, nosse te efferre bonos, quem merentur, gradu. Præprimis autem prorogare statum cave, in quo versatus eras hæctenus. Credunt depravati reges, tuique similes, sufficere, se offensos esse, à fide qui deflectunt, servis; tamen si pergant iisdem committere negotia etiam cum fide. Contra honestum sibi ducunt bonos viros nôsse: at præter nudas sterilésque laudes nec aliud tribuunt, nec audent illis aut aliquid demandare negotii, aut aliquid impertiri vel amicitia vel gratia.

Cæpit dehinc Idomeneus affirmare, pigere dedecoris, quòd adedò cunctatus esset succurrere oppressæ innocentia, pœnisque ulcisci perfidiam. Unde facilè Mentori erat, inducere regis animum, ut statueret loco movere hominem, cuius tanta apud eum existeret gratia. Quippe ubi Principibus aliquando persuaseris, ut gratos sibi homines suspicionibus acerbâque cogitatione perstringant, diurnæ molestia fessi id moluntur unum, ut liberum ab ipsis sibi latus præstent. Obolescit amicitia: veterascunt merita: & modò oculos liberent, gemitu caret amicissimorum calamitas.

Protinus ergo Hegesippo, inter nobilissimos purpuratorum non ultimo, clam imperatum à rege, ut Protésilam, & Timocratem comprehensos transportaret in Samon, iisque in ea insula depositis, inde Philoclem ab exilio reduceret. Hac

S

super

super re Hegesippo primum vehemens admiratio, deinde superante lætitiæ etiam lacrymæ obortæ sunt; atque: Nunc tandem, rex, inquit, facis, ut subditi tui eximia charitate amplectantur te, divum caput! Hæc illa pestis gemina, quæ intulit, quidquid malorum pertulere tui: quæ vicenos non minus grassata annos bonis omnibus tot expressit gemitus, & (ô inaudita crudelitas!) ne istos quidem, profus liberos. Hæc opprimit, necat, quisquis ad te viam audet tentare, quam ipsa non straverit.

Sigillatim deinde Hegesippus regi permulta recensuit, quæ nefariè crudeliterque ab iis erant gesta; Idomeneo autem tum primum cognita, cum nemini animus esset, eorum auctores accusare. Retulit etiam, quæ de conspiratione quadam in Mentoris caput detexerat, rege singulis nunciis non tam attonito, quam in terrorem adducto.

Iam Hegesippus ad excipiendum domi suæ Protesilaum strenuè contendit. Inferior hæc erat regio palatio magnitudine, commodior tamen iucundiôrque opere & situ. Quippe & minus in architecturæ peccabat instituta; & ex sanguine oppressæ egestatis maiora ornamenta dominus adiecerat. Is tum fortè morabatur in spatiosa aula ex marmore, & balneis apposita; rerûmque omiffior incompositum corpus abiecerat in lectum, ex purpura aureoque acus opere ostentantem ingens pretium. Fessum curis & exhaustum negotiis exterior prodebat habitus. Oculi superciliâque notas præferebant inquieti animi; quippe ancipites, parùm lati, aspectûque, terrorem qui incuteret. Cingebatur à magnatibus & principibus Imperii.

Stra-

Stratis suo quisque ordine infidebant, oculis in Protefilai vultu defixis, & sollicitè aucupantibus nutus, ceteraque eius. Acclamabatur vix orso idoneas integro vocabulo syllabas, eaque omnibus oraculis præferebantur retrò sæculorum.

Quidam ex primoribus multitudinis, quid quantumque regis commodo & gratia Protefilaus gesserit, commemorabant oratione exaggerata ad risum. Alius assererat Iovem amatorio furto illius genitrici iunctum, unde ipse spiritum, ortumque ex Deorum Patre haberet. Fuit poëta quidam, qui progressus in medium, recitabat carmen, quo Protefilaum contendebat magistras Musas habuisse, & Apollinei ingenii adæquare miracula. Ab alio haud paulò impudentiori inventor bonarum artium, & pater populorum, suam ei debentium felicitatem, appellabatur, iis attributis affectisque, ut credidisses Cornucopiæ eius sese manibus devinxisse.

Atqui hæc linguæ obsequia Protefilaus arido otiosoque vultu accipiebat, & contemptis specie, veluti qui nôrit maiores laudes se mereri, & æquò indulgere nimium, si laudes suas patiatur usurpari. Assistebat inter alios, qui moris adulandi egregiè sciens, ad cavillanda instituta, quæ Mentor Imperii bono cogitabat, liberè quædam Protefilao locabatur in aurem. Ediditque is modicum risum, qui ab universo cætu adstantium, quamquam causa huius à plerisque necdum intelligi potuit, pari vultus hilaritate est exceptus. At illo consuetam oris difficultatem arrogantiamque revocante, ad silendi reverentiam magnam cura pariterque est reditum. Multi nobiles

stabant suspensi expectatione momenti, quo fortè à Protésilao essent respiciendi audiendique, & prae se ferentes sollicitudinem ex eo turbati animi, quòd ad efflagitandam gratiam erant accessuri. Supplicum habitus, quo suum quisque corpus composuerat, iis etiam tacentibus explicabat, quid vellent. Tantaque omnium videbatur demissio, quanta matres, ad infima altarium trepidantes, salutem hæredis unici à cælestibus sollicitant. Credere fas erat, Protésilaum omnibus plurimum probari, eximiè diligi, ob merita parem Deo censerì; quamquam æternum eius odium fovebant sinu.

Tunc Hegesippus intravit. Armá à Protésilao repetit: indicat regis nomine, in Samon insulam à se ducendum modò. Ad hæc verba fastus, regio favore potentissimi, hominis non secus ac revulsus à præruptis scopulis fragmentum ruit. Ille trepidare: advolvi pedibus internuntii. Inundari fletu: hæsitare linguâ: præcipitare verba: palpitare: amplecti Hegesippi genua, cuius paulò ante vultum dedignabatur. Egregii autem buccinatores laudum eius cum vidissent, non dignitate tantùm esse, sed spe etiam salutis privatum, adulationi substituerunt ludibria, recenti miseriam, quantum poterant, insultantes.

Hegesippus ne moram quidem ei indulgentiam ratus aut salutationis ultimæ suorum, aut ex interioribus & reconditis litteris nonnullas furripienti; colligi omnia atque ad regem curavit deportari. Protinus & ipse Timocrates vincus est cum incredibile scilicet eius perturbatione. Nam quòd à Protésilai amicitia abscesserat, haud putabat

bat fieri posse, ut cogeretur eiusdem casum sequi.

Parata navis utrumque avexit. Venitur Samon: deponuntur ab Hegesippo uno eodémque loco; quæ res miseriam eorum explet omnibus numeris. Quippe mutua acerbâque commemoratione criminum sese vellicant, quæ tanto damno suo perpetrâunt. Spes reditiois domum sublata penitus; decretumque, ut exilium procul ab uxoribus & liberis ferant. Non addo: procul ab amicis, quippe quos non habent. Deportati sunt in ignotam terram, ne aliunde quàm ex stipe operis diurni alimenta possint conquirere, qui diuturnæ luxuriæ apparatu abdomen saginârunt. Ferarum impetu ad mutuas cædes continenter aspirant.

Interea Hegesippus percontatur, qua parte insulæ Philoclem reperiret. Nuntiatumque est, longius ab urbe & in monte esse: antrum incolere. Qui in mentionem eius cum Hegesippo inciderant, passim mores hominis commendabant: Nemini, ex quo esset in insula, gravem fuisse; imò ob patientiam, industriam & æquitatem animi magnopere indigenis placere. Nihil habenti nihil deesse: à rebus publicis quantumlibet remotum, vacuumque tum fortunis tum officiis, haud omittere pro viribus adiuvare non indignos auxilii: numerari non posse, quibus modis curaret vicinis opitulari.

Pergit itaque Hegesippus. Vacuam antri sedem videt, liberoque aditu. Eâ quippe rerum inopiâ erat & morum simplicitate Philocles, ut prodeunti opus non esset pessuli fidem invasuris opponere. Culcitra ex duriore iunco. Solitus nihil cocti cibi

vesci ignem ferè abstinebat specu. Recentibus pomis per æstatem consulebat fami: hyemen aridis dactylis sicubusque tolerabat. Sitim perennes aquæ restinguebant, quæ labentes è petra sibi parabant receptaculum, quasi aquas excipimus, idoneas ad potum. Instrumenta ad sculpendas imagines supellex erat, librique non multi, quos statis horis lectitabat, ut inde vacuis temporibus documenta traheret probitatis, non ornamenta ingenio accerseret, aut pabulum novitatis cupidini. Collocabat in fabricandis signis operam, ne otio corporis vires obtorpescerent, & ne deficiente, unde victitaret, alienum fatigandum esset auxilium.

Hegesippus ingressus specum, admirabatur opera, quæ tunc primam acceperant manum. Simulacrum Iovis vidit, cuius faciem ea maiestas animabat, ut vel inde potuerit Deorum hominumque Pater nosci. Alia ex parte minas suas ferocius, quam expectares ab imagine, aspirabat Mars. Quæ autem oculos animosque feriebat præ ceteris, Minervæ effigies erat, urgentis Musarum industriam. Oris generosa suavitas, corporisque ut procerus habitus, ita non diversus ab eo, in quem artus consuevit natura componere. Motuum denique tam vehemens imitatio, ut videretur gradum non fingere, sed moliri. In horum contemplatione aliquamdiu & periucundè versatus, loco egreditur: Philoclem è longinquo aspicit sub insigni arbore, in lætiori humo depositum, & vacantem libro. Appropinquat Hegesippus. Visoque eo, quid crederet, incertus Philocles: Fallor, inquit cum animo suo, an Hegesippus huc se, ille, quocum in Creta tam mihi diuturna consuetudo?

sci.

Scilicet ille tam procul in desertum hunc locum? imò manes eius à Stygiis huc commearunt vadis.

Hæsitanti Hegesippus supervenit adeò, ut, quis esset, ignorare Philocli deinceps non licuerit. Ergo impetu insolentis gaudii in collum eius ruit, & : Tène, inquit, intueor, diu mihi & verè amicum caput? quis te casus, quæ procella in hoc littus? Cretam eccur deferis? exemplo meo tène offensa Principis eripuit Patriæ?

At Hegesippus: Superùm me huc favor, non offensa Principis duxit. Plurima deinde ab eo nunciata: ut diurna Protefilai crudelitas, clandestina cum Timocrate pestiferâque commercia; Idomeneo importata eo auctore mala; casus & fuga Principis in oras Italiæ, Salenti origo. His de Mentore & Telemacho quædam adiecta: adventus eorum, præceptaque, quibus Mentor persanasset regis animum. Nec de regis ira siluit, quam uterque proditor subiisset. Subiunxit, à se perductos in Samon, ut ipsi, quod Philocli per nefas peperissent, tolerarent exilium. Ad ultimum, regem ait velle, Salentum unà secum rediret. Scire regem, eum vacasse culpâ. Summis Aulæ negotiis præfectum iri, & cumulandum beneficiis.

Ad hæc: Vidésne hoc antrum, Philocles inquit? feris quàm hominibus aptius receptaculum est. At in eo Philocles per tot annorum spatia iucundiùs quàm in Cretæ palatiis acquievit. Multum abest, ab hominibus ut iterum decipiar. Pridem hominibus hos oculos, pridem has aures pestiferis eorum blanditiis clausi. Scio carere utrisque. Occal-luère ad laborem hæ manus: facilè, quibus indigeo, simplicibus alimentis sufficient. Lautis nil

opus. Præter tenuem vestitum, quo tegor, nihil, ut vides, requiro. Egenus omnium omnibus abundo: turbarum vacuus, liber & beatus sum; quibus bonis rectè uti me hi magistri, libri, docent. Quid superest igitur, ab invida, fraudulenta, mutabili mortalitate quod exigam? hanc mihi sortem, Hegesippe, cave inideas. Enim vero Protefilaus dum regem fallere, me in exitium dare constituit, ipse fraudi sibi fuit. Neque enim ab eo volente mihi noxa illata, sed à nolente ingens datum beneficium. Exemit me turbis: negotiis servilibus liberavit: in hanc solitudinem, in has oblectationes innoxias misit. Revertere, Hegesippe, ad regem, revertere! sustenta cum eo unà maiestatis miseriam, & quod à me præstari petis, tute ipsi præsta. Mentorem nominasti, sapientem virum, qui vero caligantes oculos regis emendaverit. Hunc ergo iubeat secum esse. Me verò haud decet relinquere portum meo tam opportunum naufragio, & novis procellis exponi. Infelices sunt, miseri sunt, qui serviunt regibus. Qui si mali sint, quanta tormenta subditis, quanta in Inferis parant sibi! & si boni, in quantas incurrunt molestias? quis enumeret laqueos, quibus possunt indui, mala, quibus opprimi? Repeto: hanc mihi sortem, Hegesippe, cave inideas.

Hæc tanta contentione dicente Philocle Hegesippus vehementer obstupuit. Occurrebat etiam, Philoclem cum olim vacaret gravissimis negotiis, macilento corpore tenuissimæque valetudinis fuisse. Ardor quippe numquam remissi animi exedebat eius vires: urebat scelerum impunitas: quæ rarissima est, accuratam exquisitamque operam agen-

agendis postulabat impendi. Atque ex hac rerum suarum industria vitium patiebatur aliàs non firma valetudinis eius affectio. Contra habitioem in Samo, & valentem viribus Hegefippus offendit. Tam gravi ætate vultus receperat, quidquid amamus in florente adolescentia. Sobriâque & tranquilla vita, alienâque otii, aliam naturam expulsa deteriore videbatur substituisse.

Ad hæc Philocles lætiori specie: Miraris, amice, alium me tibi reddi. Et formæ & valetudinis meæ damna solitudo reparavit. Per inimicos possideo, quantum à fortuna etiam nimium indulgente nunquam licebat expectare. Omissio igitur auro, sequar scoriam, miseriamque, quam damnavi pridem? Esto, Hegefippe, aut Protefilao non immittior, aut certè non infestus, quod per Protefilaum sum adeptus, bono.

Neque Hegefippus segniter etsi frustra protulit, quæ ad mutandum Philoclis animum videbantur idonea. Inter alia: Nihil ergo illud movebit te, quòd affines possis, quòd amicos dulcissimos intueri, qui discruciantur expectatione reditus & amplexus tui? Deos times: officium amas. Et sine religione negligis servire regi? ministrare facturo, quod optimum? beare tot populos? Placètne Diis inhumana sapientia, quæ docet se unum præferre universo mortalium generi, & suæ unius tranquillitati consulere posthabita salute civium? quid? quòd videberis te ulcisci velle, si regem nolis aspicere; qui, si eo unquam fuit animo, ut tibi malefaceret, ideò fuit, quia minùs rectè te noverat. Philoclem si quem destinavit supplicio, non is verus erat & bonus & iustus

Philocles; sed alius ab illo planéque diversus fuit. Nunc certè, ex quo nosse te didicit, & qui omnino es, intelligere, sentit pristinum Philoclis amorem in animo suo renasci. Expectat te. Parat venturo amplexus: cum molestia & tui ingenti desiderio dies dierúmque momenta numerat. Scilicet & precibus regis tui, & obtestationibus omnium charorum reluctabere?

Philocles simul atque Hegesippum agnoverat, ad teneritudinem demiserat animum. Tunc autem referebat se ad pristinam austeritatem agendíque perseverantiam, nec gratia nec precibus amici movendus gravissimáque argumenta rationum facillè tolerans; nec impar scopulo, cuius constantiam inutiliter procellæ tentant, fractóque inter atroces sonitus impetu relinquunt quasi obstrepentes victoriæ. At dum boni desperatione eventus Hegesippus torperet; dum futurum sine amico reditum prosequitur gemitu: ecce Philocles Deos consulit. Ex volatu avium, extísque & ominum frequentia intelligit, Deos velle, ut Hegesippo acquiesceret.

Prætermisissis igitur recusationibus se accingit itineri; etsi parùm lætus, quòd deferenda solitudo erat, tam diuturnum habitanti solatium. Patiárne (antrum alloquebatur) eripi me tibi, amica sedes, quæ tam dulces noctes mihi? tam bona diurnos post labores otia? tam aureas meæ horas inopiæ? Manantibus deinde lacrymis procumbens Naiadem adorabat, quæ perennes fontes sitienti tanto tempore ministraverat, ceteráque Numina vicinos montes incolentium Nympharum. Excepit Eccho supremos luctus, eosque ad omnes Dryades non multipliciùs quàm flebilius pertulit.

Inde

Inde Philocles cum Hegesippo in urbem pervenit, profecturus navi. Haud aliud sibi magis persuaserat, quàm nunquam fore, ut Protefilaus hoc pudore, hac indignatione velit aspectum eius intueri. Fefellit tamen ea opinione se. Nihil enim tam vile, ad quod profanato semel pudore depravati fraudulentique homines non descendant. Philocles quidem (quæ erat eius modestia) latere volebat, ne conspiceretur ab infelici hoc exule; veritus, ne viso inimico, qui ex casu ipsius erat sublimior futurus, se magis reputaret calamitosum. At Protefilaus, quàm licuit Philoclis captabat copiam; miserabiliorem ipsi futurum se credens ex præsentia, idque affecuturum ab eo, ut Salentum redeundi veniam sibi deprecaretur à rege. Id verò ut Philocles se polliceretur facturum, aperti animi, quo erat, integritas non fuit; abunde videlicet gnarum, quæ mutato Protefilai exilio essent mala exitura. Contrà moderatissimè compellato imperiebatur misericordiam; adhibitoque magnopere solatio, monuit, uti Deos integritate morum placaret modestiæque patiendi in difficillimis rebus. Cùmque intellexisset, bonis omnibus per nefas corrasis multatum à rege, duo se facturum eidem recepit, fide postea integerrimè servata: primò curaturum de uxore eius, liberisque Salenti in egentissima egestate odióque publico relictis, deinde re pecuniaria miserias sublevaturum longinqui exilii.

Inter hæc serenum cælum velis secundas auras immiserat. Quas Hegesippus impatiens moræ, ut maturaret abitum Philoclis, avidè sequebatur. Conscenditur navigium, spectante Protefilao. Videbatur

debat

debatuꝛ is littori immobiles oculos affixisse, adeò nunquam removit à navigantibus, quos per opportunos fluctus meliores venti strenuè longiùsque auferebant à portu. Proiecta navi, ut ad eam visu haud amplius valeret pertingere, adhuc ramen inanes navigantium formas sibi repræsentabat. Ad ultimum turbari, furere, crines vellere desperantium ritu, volutare abiectum corpus sterilis solò, arguere inclementes Deos, mortem ferociter, sed nequicquam deprecari auxilio; utpote quam tantorum finem malorum nec merebatur habere, nec manu sua audebat statuere.

Neptuni aërisque favor navem brevissimo cursu Salentum devexerat. Nuntiatur regi intrare portum. Ergo cum Mentore properat in Philoclis occursum. Amplectitur. Dolet palàm & vehementer illatam ipsi iniuriam. Quæ quidem doloris professio regi à Salentinis non dabatur culpæ, sed inter magni excelsique argumenta referebatur animi, vitia sua strenuè perdomantis, eumque confidentis in finem, ut ab iis respiciat faciliùs. Manabant omnibus præ gaudio lacrymæ, tum quòd intuebantur virum re planè vera honestum, qui amasset cives, quòdque regem audiebant tam sapienter, tam benigne loqui.

Philocles testimonia regis charitatis non reverenter minùs, quàm modestè accipiebat; magno perè desiderans, ut fas esset, se civium iterum iterumque acclamantium vocibus eripere. Perductus à rege in arcem est; eaque inter ipsum Mentoremque illico nata amicitia, ut quamquam tunc primùm loco iuncti, viderentur primis ab annis fuisse unà. Dii nimirum improborum hominum  
mentes,

mentes, ne nôrint bonos, obrundunt; bonorum, ut inter se noscant, acuunt. Qui enim, quod virtutis est, sapiunt; ubi primùm convenêre, virtutis, quam amant, necessitudine coniunguntur. Ceterùm Philocles facultatem petebat à rege, separandi se à consuetudine hominum, & concedendi in locum Salento vicinum, purum ab humano cultu, turbisque vacuum; ubi inopem vitæ rationem, quam in Samo tenuerat, prosequeretur. Rex ergò cum Mentore ventitabat eò fermè in dies: ibi consultabatur de modo, quo leges possint stabiliri, & civilis disciplina salutari ordine roborari.

Consultationum porro duo capita erant, quæ præprimis examinabantur; educatio scilicet prolium, & quæ ratio morum tenenda vacuïs à bello temporibus? Et proles quidem, Mentor inquebat, ad rempublicam videntur magis quàm parentes pertinere. Pignora quippe sunt gentis suæ, spes, robur; quæ corrupta semel nullo pacto valent emendari. Neque idoneum, sed nimis profectò infirmum est malæ educationis remedium, arcere illas à dignitatibus & officiis, postquam meruerunt arceri. Satiùs est prævenire malum, quàm cogi ad puniendum malum. Deinde rex pater est populi, magis ergo (quæ flos est populi) Iuventutis. In flore curandum de fructu. Itaque numquam infra se rex ducet operam educandæ proli tum dare, tum ab aliis exigere. Numquam patietur negligi Minois leges, quibus sancitum, ut liberi ab ineunte ætate doceantur dolores & mortem contemnere: gloriam in fuga voluptatis & divitiarum ponere: mendacia & ingratum, mollemque animum collocare in nefandis criminibus:  
laudes

laudes item concinere Heroum, qui Diis accepti, insigniùmque pro patria factorum extitère auctores, quique specimina fortitudinis ediderunt in acie: deinde non aspernari dulces concentionum modulos, ut cruditas abstergatur novellis moribus: faciles se præstare amicis, fideles sociis, æquos omnibus & ipsis adeò, qui acerbissimè oderunt; mortem denique tormentaque minus curare, quàm vel levissimè arguentem conscientiam. Quodsi tam præclaris morum institutis maturè admodum impleantur pueriles animi, eaque fideliter insideant suavitæ concentûs admota, pauci mehercule erunt, qui ad mirum virtutis desiderium gloriæque non assurgant.

Addebat his Mentor: præcipuum esse, ut scholæ aperiantur, tum ut difficillimis exercitationibus corporis assuefiat adolescentia, tum ne mollitiæ otioque, peste scilicet optimarum mentium, debilitetur. Requirebat insuper acriori totius populi incitamento maximam varietatem in spectaculis; in illis utique, quibus corporibus aptitudo, agilitasque & robur paratur. Statuta propterea præmia movendæ æmulationi ingenuis animis. Bonorum morum emolumento desiderabat præprimis maturari iuniorum matrimonia, permittique à parentibus & cognatis posthabito rerum studio, ut in tori societatem legant ex corporis animique dotibus placituras.

Dum autem de adiumentis agitur ad puritatem innocentiae, industriamque unà cum discendi habilitate ac desiderio gloriæ conservandam in iuventute: armorum studiosior Philocles Mentori obiicit: Frustra sumus in inveniendis imperandisque  
 exer-

exercitiis adolescentiæ, si eam permiseris perpetuo ab armis otio fatigari, ita videlicet, ut nec instituatur bellandi peritiâ, nec iubeatur virtutem suam mutua periclitatione experiri. Infirmabitur paullatim tota natio: emollientur acriores animi: serpet in mores voluptatis contagium: nec difficulter aut ægrè fiet, ut vincatur ab aliis populis, qui armis assuevêre. Atque ita vitando belli mala, malorum pessimum, servitutem in caput gentis nostræ advocabis.

Imò belli mala, Mentor reponit, longè sunt, atque tu existimas, horridiora. Exhaustum bellum Imperia: nec tum patitur umquam periculum abesse extremarum populationum, cùm nobilissimis victoriis geritur. Dent sese quantumvis præclare belli initia: an ideo vereri non debes, ne (quæ sortis est varietas) ab illis perniciosissimè abludat finis? Præstiteris numero longè multumque adversarios, cùm quibus res tibi: at levissimo errore, temerario inanique & de umbra metu extorqueri potest manibus tuis iam inserta palma. Quin sit in castris tuis potestati tuæ obnoxia victoria: perde hostes; & te ipsum pessum ibis. Nudatur incolis regio: sine cultu ferè obsolescit ager: turbantur commercia: mulctantur optimæ (id quod longè peius) leges: aliæ ex aliis clades afferuntur moribus: languescunt in iuvenibus litterarum studia: patrocinatorum necessitas militari licentiæ: affligitur iustitia, civilis institutio; & quid non? Qui verò tantum sanguinis effundit rex, tantumque apportat miseriarum, ut valeat aut paucillum adicere gloriæ, aut limitibus Imperii: is meretur  
non

non tantum prohiberi quaesita gloria, sed & ut ambitiosus raptor alieni amittere sua.

Vacantibus autem armis qua exerceri ratione ingenita animis virtus queat, nunc habe. Vidisti, quae instituimus exercendo corpori. Regulas item accepisti ex me virtutis & gloriae, quibus curabimus pueriles animos ab ipsis fere incunabulis informari cum concentu memoratis frequentatisque Heroum laudibus, His adde, quae de sobria industriaque vita decrevimus. Sed nondum haec omnia. Simul atque bellum cuidam ex focis incidit, eò florem mittes iuventutis, habito delectu eorum, quos deprehenderis armis delectari, idoneosque praeter ceteris, ut è rerum, quas experientur, usu proficiant. Inde non mediocriter suspicieris à focis. Captabitur tua amicitia, ab eaque inita haud facile quis audebit desciscere. Ita non bellabitur quidem aut in terris aut sumptibus tuis. Neque tamen umquam carebis perita iuventute, audaceque belli. Quamquam autem utaris pacato Imperio, non omittes tamen capaces militaris gloriae praeferre multitudini. Etenim tunc arcebis bella, & diuturnum tueberis otium, si cessari non finas ab armorum exercitio: si honos habeatur id genus vitae cum laude profitentibus: si semper praesto sint, qui militantes extra patriam, & robur & disciplinam didicere, artesque, quarum in bello usus finitimis: si bella nec imperu velis gerere ambitionis, nec delicato pavore incommodorum refugere. Tum demum, si numquam recuses bellum aperta causa vel inferre vel propulsare, efficies, ut plerumque vacare ab armis possis.

Quod

Quod ad fœderatos, rebûs ad arma pronis, fe-  
questrum te dabis. Atque ita verior erit tua, cer-  
tiôrque gloria, quàm qua regnorum expugnatores  
adaugentur. Comparabis tibi amorem & admira-  
tionem exterorum, quippe quibus necessaria est  
tua opera. Imperabis ipsis per fiduciam non secus,  
atque subditis per auctoritatem regiam. Eris ar-  
canorum omnium particeps, arbiter causarum ci-  
viliùm, magnésque animorum. Adorabunt famam  
tuam remotissimæ gentes, non absimilem odoribus,  
qui per alias atque alias fusi terras extremis mundi  
partibus delicias suas partiuntur. Iam offerat tibi  
iniustum bellum vicina natio: offendet te pugnare  
& doctum & paratum. Sed longè movebitur am-  
pliùs, cùm videbit, te amicitia & auxilio plurimarum  
gentium niti; quæ tuâ causâ armabuntur, creden-  
tes, te minùs salvo salutem omnium periclitari.  
Atque hoc est munimentum longè tutius, quàm  
quæ seu murorum definiuntur ambitu, seu alias  
humana industria excitantur: hoc fundamentum  
veræ gloriæ. At quorus regum quisque est, qui  
instrumenta obtinendæ eius norit; & si norit, am-  
plectatur? inanes umbras captant scilicet: verum  
decus, quoniam ignorant, prætereunt.

His dictis Philocles Mentorem intuetur vehe-  
menti admiratione affectus. In regem deinde con-  
verso vultu advertit magna cum curâ intimisque  
animi recessibus ab Idomeneo recondi, quæ non  
copiosius quàm sapientiùs alienigena proferebat.

Itaque Minerva, usurpans Mentoris habitum,  
optimas leges saluberrimâque instituta tradebat,  
cùm ut effloresceret Idomenei Imperium, tum  
maximè, ut luculentum exemplum obiiceret redi-  
turo

T

turo

turo Telemacho, quantum & ad felicitatem populorum & ad boni Principis laudem stabiliendam regnandi prudentia afferat.

## TELEMACHUS.

### LIBER XV.

**I**Nterea Telemachi fortitudo in belli discrimini-  
bus enituit. Salentô profectus diligenter se  
dabat quærendæ eorum benevolentia, qui sub  
galea canuerant, quosque perfecta scientia pugna-  
rum ad apicem evexerat militaris gloria. Nestor  
perpetuam amicitiam cum Ulyssæ coluerat. Itaque  
non secus atque ipse genuisset, Telemachum ha-  
buit. Tradebat ipsi præcepta, adiectisque exem-  
plis roborabat. Nec qui in iuventutem suam inci-  
dissent casus, omisit, ceteraque, quæ ad postero-  
rum memoriam vidit ab Heroibus superiorum  
ætatum geri; quarum quidem omnino tres vixe-  
rat; adeò nihil inde eius offensâ memoriâ, ut nec  
æra, nec marmora maiorem fidem antiquorum mo-  
numentis præstiterint.

At Philoctetes à Nestoris benevolentia in Itha-  
cum initiò longè abierat. Clam Ulyssæm fuit, diu-  
que averfatus. Igitur nihil amicior filio, permo-  
lestè tulit, quidquid videbantur Dii propensius  
moliri, ut hunc iuvenem in gradu virorum, quos  
decus vastatæ Troiæ iamiam immortalitati initia-  
verat, collocarent. At cessit tandem modestiæ  
Telemachi Philoctetis invidia. Non poterat non  
amare tam mansuetum, tam moderatum in iuvene  
animum. Sæpe illo seorsim abstracto: Equidem  
fili, inquit (id namque nominis tibi haud tribuo  
invi-